

seruit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia praevalere.

R. 1^o. Argumentum hoc de S. Petro ex duplici capite inscite a *Jansenio* et *Arnaldo* proponitur ad ostendendum, justis deesse gratiam sufficientem. Primo enim per internum peccatum jam ante desiderat esse justus, quam externe negaret Christum. Tria enim ejus crimina redarguit S. CHRYS. hom. 83. in Matth., nempe quod dictis Christi negationem illius prænuntiantibus non crederet, se cæteris præferret, de se nimium præsumeret: idem fere repetit hom. 72. in Joann.; cum quo consonat S. AUG. L. 14. de Civ. c. 13. et alibi, ubi ad gratiæ amissionem manifestandam vocat Petri præsumptionem *ruinam cordis*, quam CHRYS. *crimen et casus magnitudinem* dixerat.

Unde N. M. quæ ex Scriptura non probatur, utpote quæ loquitur de Petri statu, illam præsumptionem præcedente. Quamvis autem HILARIUS et BASILIUS rem videantur tribuere amori, tamen nec ipsi dissimulant Petri præsumptionem, nec hic eorum sententiæ discrepantes attendendæ sunt, præ auctoritate CHRYS. et AUG., ad quam unice provocant adversarii, qui assumptum ex iis maxime probant: AUGUSTINUS vero illis adjunctus intelligendus est de amore *præpostero et inordinato*, ut ipse explicat serm. 106. de diversis (al. serm. 236. n. 1.). Secundo, quia Petro non tam defuit gratia sufficiens, et ad orandum, quam ipse ejus effectui obicem posuit, eamque neglexit, cum de se præsumeret, neque de orationis necessitate ac sua infirmitate monitus orare studeret.

R. 2^o. T. M. N. m. vel D. Petro defuit gratia efficax C. gratia sufficiens Subd. proxime sufficiens T. remote sufficiens N.

Ad prob. 1^{am}. N. seq. quia, cum eo tempore non urgebat præceptum moriendi, ut S. AUG. proxime laudatus docet, contra possibilitatem mandatorum Dei nihil probat, licet Petrus tum ne remote quidem sufficientem gratiam Christum morte sequendi habuerit.

Ad 2^{am}. et 3^{am}. redit prior distinctio, quam ipse AUG. confirmat, dum L. de unit. Eccles. c. 9. scribit: *Petrus, si voluisset, ter Dominum non negasset*. Quomodo autem potuisset, nisi per gratiam vere sufficientem, saltem orationis? Item dum loco postremum objecto voce *subdeseruit*, non omnimodam desertionem significante, est usus. Idem insinuat CHRYS. hom. 83. in Matth. de Petro addens: *Totum sibi attribuebat, dicens: Etsi omnes scandalizati fuerint etc.; cum dicere debuisset: Patrocinio tuo juvabis*. Cæterum, dum negat Petri peccatum tribuendum *socordiae ac negligentiae*, de illa loquitur, quæ ex timore oritur; non autem de ea, quæ ex præsumptione ac tumore nata faciebat eum negligere preces, et orationem omittere.

ARTICULUS IV.

AN PECCATORIBUS DETUR GRATIA SUFFICIENS AD AGENDAM PŒNITENTIAM?

350. Nota. Certum, Deum non præcipere impossibilia; neminem peccare in eo, quod vitare nullo modo potest. Inde sponte sua consequitur, quoscumque peccatores vel auxilia habere necessaria, quibus mandatorum observatio et abstinentia a peccatis sit possibilis, vel mandata non observando eos non peccare: quare et in præsens a nobis prætermittitur ea quæstio; an pec-

catoribus detur gratia sufficiens, ut nova peccata cavere queant? examinatur autem altera; an possibile iis sit præceptum pœnitendi, sive an peccatores pro loco et tempore habeant gratiam proxime aut saltem remote sufficientem ad pœnitendum? Quæstio spectat peccatores reprobos; quorum alii excæcati et obdurati dicuntur, qui nempe multas jam gratias et salutis media proterve rejecerunt: alii ex hujus rationis defectu obstinati non dicuntur.

Jansenius peccatoribus his omnibus sive obstinatis, sive non obstinatis passim in suis de gratia Christi libris gratiam sufficientem sensu catholico intellectam adimit: quin et inter Catholicos Theologos nonnulli reperiuntur, qui asserunt, peccatores obstinatos vel simpliciter, vel post certam aliquam gratiarum et peccatorum mensuram, omni nonnunquam ad seriam conversionem auxilio, etiam mere sufficienti, in pœnam præcedentium facinorum et neglectarum gratiarum destitui.

351. Dico. Peccatoribus etiam excæcatis et obduratis non deest pro tempore et loco gratia saltem remote sufficiens, qua possent agere pœnitentiam et mentis cæcitatem ac duritiam cordis deponere.

Prob. AUCTORITATE. I. SCRIPTURÆ. In hac nihil est frequentius, quam quod peccatores universim ac sine exceptione, imo et contumaces ac obstinati vel invitentur ad pœnitentiam, vel objurgentur, quod Deo vocanti non obediant, aut non revertantur ad Deum suum. Ejusmodi testimonia sunt Ezech. 33. v. 11.: *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis, et quare moriemini?* 2. Petr. 3. v. 9.: *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*. Act. 7. v. 51.: *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus! vos semper Spiritui sancto resistitis*. Ad Rom. 2. v. 4.: *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnitis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei*. Hæc autem sive invitatio, sive exprobratio *irrisoria* foret aut *iniqua*, si peccatores destituerentur omni gratia sufficiente, utpote sine qua converti ad Deum ac rite pœnitere nequeunt; ergo.

II. CONCILIORUM. Præter ARAUS. II. LATERAN. c. Firmiter, et TRID., huc faciunt VALENT III. Can. 2. (Labb. t. 8. p. 135. E.) ubi dicitur, *malos non ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt*; et TRID. Sess. 6. c. 14., ubi universim sic enuntiatnr: *Qui ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum, ... amissam gratiam recuperare procuraverint*. Quibus verbis contra Sectarios statuitur, absolute recuperari posse gratiam ab omnibus per auxilium divinum, omnibus non tantum paratum, sed præsens, ut SENON. anno 1528. habitum, Decr. 15. exponit (Labb. t. 14. p. 457.); non autem *conditionate* tantum, si nempe auxilium detur, cum de hoc nulla controversia aut dubium fuerit.

III. PATRUM, præsertim S. AUG. in Ps. 63. n. 19. *Numquid consilii corrigendi et mutandæ vitæ malæ in bonam non est locus, non est tempus? nonne, si vis, hodie fit? nonne, si vis, modo fit?* De simili vero enuntiatione sua L. 1. Retr. c. 22. n. 4. sic loquitur: *Quod non est contra gratiam Dei, quam præ-*

dicamus, in potestate quippe hominis est mutare voluntatem in melius; sed ea potestas nulla est, nisi a Deo detur. Ex quibus duo sequuntur; alterum, unumquemque habere potestatem, ut convertatur: alterum, hanc potestatem per gratiam constitui: unde demum consequens est, peccatoribus omnibus gratiam sufficientem dari ad veram conversionem.

Prob. RATIONE I. Duplex datur excæcatio et obduratio; altera *inchoata* seu *imperfecta*, quæ locum habet in præsentia vita: altera consummata et perfecta, quæ est alterius vitæ, et habetur in termino. Ita docet S. AUG. in Ps. 6. in illa verba: *Turbatus est ab ira oculus meus*. Consentit D. TH. q. 24. de Verit. a. 11. Probat etiam paritas de *confirmatione in gratia*, quæ quia nec tentationes ad malum nec affectus etiam aliquos venialiter malos excludit, sic nec obduratio, quæ est quasi confirmatio in malo, suasiones gratiæ ad bonum piosque affectus omnes abesse postulat. *Subsum.* Sed si *obdurati* omni gratia sufficiente destituerentur, tum eorum excæcatio et obduratio foret consummata, tum ipsi non amplius dicendi forent esse in statu viæ, quandoquidem ex defectu omnis gratiæ ad terminum cælestis patriæ pervenire nullatenus possent; ergo.

II. In hac vita nemo de salute sua desperare debet; quia TRID. Sess. 6. c. 13. docente, in *Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent*: sed si post certam gratiarum neglectarum aut commissorum peccatorum mensuram Deus homini ad pœnitentiam negaret gratiam sufficientem, imprimis veniam peccatorum sperare non posset; cum juxta adversarios nec promissa a Deo sit, nec etiam detur gratia ad impetrandam peccatorum veniam absolute necessaria: deinde necessario desperare deberet de salute; cum una ex parte sciret, veniam a se non posse sperari, ex altera parte non ignoraret spem veniæ ex TRID. Sess. 6. c. 6. prærequiri ad justificationem et hinc salutem consequendam: quibus positis nihil præter desperationem restat; ergo.

III. Præceptum conversionis sæpius præsertim sub vitæ finem, etiam obduratos urget; ergo obduratis debet esse possibile; cum ex dictis Deus impossibilia non jubeat. Sed vera et salutaris conversio est impossibilis sine gratia sufficiente, ut ostensum est de necessitate gratiæ; ergo.

352. *Obj. I.* SACRA SCRIPTURA docet, certa quædam peccata esse irremissibilia; ergo Deus ad agendam pœnitentiam non dat omnibus gratiam sufficientem. *Prob. Ant.* Matth. 12. dicitur: *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro*. Ad Hebr. 6.: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati... et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*. Ad Hebr. 10.: *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia*. 1. Joan. 5.: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis*; ergo.

R. N. A., de quo vide Tr. de Pœnitentia.

Ad textum 1^{um}. R. Per verbum contra Spiritum sanctum non intelligi blasphemiam quamcumque, sed agnitæ veritatis impugnationem et maxime peccatum illud, quo quis veritatem fidei, Spiritus sancti virtute et revelatione signisque credibilitatis sufficienter manifestatam, malitiose negat et insectatur, ut Pharisei divina ac supernaturalia opera a Christo in confir-

mationem suæ Divinitatis patrata tribuendo *damoni* ac *Beelzebub* fecerunt; qui est sensus litteralis ac interpretatio ATHANASII, HIERON., CHRYS., AMBR. et aliorum apud Corn. a Lapide. Hujusmodi autem peccatum dicitur nec in hoc, nec in futuro seculo remitti juxta CHRYS. hom. 42. in Matth. n. 3. et D. TH. p. 3. q. 86. a. 1. ad 3., quia a Deo punitur non tantum in altera, sed jam in hac vita: plerumque etiam hujus peccati culpa non remittitur, non ex defectu auxilii sufficientis, sed ex malitia hominis, qui proterve respuit et repudiat *veritatem fidei*, sine qua impossibile est placere Deo, cumque eo reconciliari.

Ad textum 2^{um}. R. Hic loci non esse sermonem de pœnitentia quacumque, sed de ea, quæ fit in Baptismo, ut illa vox *renovari* indicat, et CHRYS. in hunc locum, D. THOM. aliique exponunt.

Ad textum 3^{um}. R. Similiter, non relinqui aliam hostiam, id est aliam *Christi mortem*, quæ per iteratum Baptisma representetur; ut rursus ex CHRYS. et D. TH. aliisque Patribus SUAR. de Pœnit. Disp. 8. sensum litteralem declarat.

Ad textum 4^{um}. R. Per *peccatum ad mortem* intelligit impœnitentiam finalem S. AUG.; at S. HIER. impœnitentiam finalem non ita stricte sumit, scilicet pro perseverantia et obstinatione in peccato, præsertim *apostasiæ*, quo fides et motiva credibilitatis proterve respiciuntur, ut proin moraliter impossibile sit, h. e. difficillimum, talem converti. Nec absolute prohibetur oratio, sed tantum dicitur, non ita fidenter orandum esse. Demum inde non probatur defectus omnis alterius gratiæ remote sufficientis.

Inst. 1. SCRIPTURA docet, Deum completa peccatorum certa mensura non amplius misereri. *Prob.* Amos 1.: *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum*; idem repetitur ibidem de sceleribus Gazæ, Tyri, Edom, Ammon et Moab. Genes. 15. autem dicitur: *Necdum completae sunt iniquitates Amorrhæorum*; et Matth. 23. ait Christus: *Et vos implete mensuram Patrum vestrorum*; ex quibus Eusebius L. 8. de demonst. Evang. c. 2. statuit, Deum expectare aliquos usque ad certum terminum peccatorum, et postea omnino illos deserere.

R. N. A. Pervulgatum enim apud Patres axioma est, homini, dum vivit, locum pœnitentiæ concedi, ut patet ex GREG. L. 17. Mor. c. 4. (al. 6. n. 8.) *Quisquis delinquit, et vivit, idcirco hunc divina dispensatio in iniquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat*; quod idem late EPIPH. hæc. 59., FULG. ep. 7. pertractarunt. Itaque

Ad 1^{um}. R. Per negationem conversionis non intelligi subtractionem gratiæ ad pœnitendum, sed mutationem tolerantiae in justam vindictam et inflictionem pœnæ mortis aliorumve malorum temporalium; ut apposite ad contextum hoc loco exponit HIER. his verbis: *Expectavi multo tempore, ut Damasceni de suis sceleribus agerent pœnitentiam, et ideo nolui punire peccantes, ut aliquando conversi reciperent sanitatem: verum quia tertio et quarto eadem faciunt, cogor mutare sententiam, et plagis corrigere delinquentes*.

Ad 2^{um}. et *3^{um}.* R. Hæc testimonia eodem, quem modo dedimus, sensu accipi debere, patet in Amorrhæis post 400. annos a Moyse ac Josue deletis, et in Judæis excisa Hierosolyma dispersis, quorum tamen neutris gratia ad pœnitentiam sufficiens negata fuit. Simili ratione intelligendus est Eusebius.

Inst. 2. SCRIPTURA dicit, fuisse certas personas, quibus dare veniam Deus

noluerit. *Prob. 2.* Mach. 9. de Antiocho scribitur: *Orabat hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Ad Hebr. 12. de Esau dicitur: *Non invenit penitentiae locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam.*

R. N. vel D. Ass. Sunt certae poenae, quibus Deus antecederet noluit dare veniam N. consequenter ad eorum liberam in peccando obstinationem ac impoenitentiam C. Ad 1^{um}. R. Antiochum non orasse petendo veram poenitentiam vel gratiae auxilium, sed salutem corporis, ut haec illius verba indicant: *Non desperans memetipsum, sed spem multam habens fugiendi infirmitatem.* Porro mirum non est, quod hac in re misericordiam non sit consecutus; tum quia, ne quid de iniqua petitione dicam, oratio de bonis temporalibus non semper est infallibilis: tum quia quantumvis subinde quis oret, ac etiam peccati poenitentiam agat, Deus tamen interdum infirmitatem in peccati poenam immissam non remittit, cum etiam vere poenitentia per se non operetur remissionem poenae temporalis.

Ad 2^{um}. R. Neque hunc locum ad rem propositam facere. Nam sermo hic non est de poenitentia Esau aut peccati, sed de poenitentia Isacii, seu de retractatione prioris facti, scilicet benedictionis, quam Isaac Jacobo dederat: hanc enim Esau petebat, et obtinere non poterat. Illud Joan. 9. dictum caeci nati, vide num. 306.

Inst. 3. Eadem SCRIPTURA docet, quibusdam in scelera obstinate ruentibus aliquando subtrahi sufficientis gratiae auxilium. *Prob. Isa. 5. ait: Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineae meae: auferam sepem ejus, et erit in direptionem; diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem. Et ponam eam desertam: non putabitur, et non fodietur: et ascendent vepres et spinae; et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Sed haec designant subtrahendas gratias tam externas, quam internas animae peccata multiplicanti, quae aequae ac populus Judaicus sub parabola vineae intelligitur; ergo.

R. N. Ass. Ad prob. 1^{am}. D. m. Haec designant subtrahendas animae peccatrici gratias tam externas, quam internas, extraordinarias, speciales et uberores C. ordinarias et necessarias ac praecise sufficientes subd. dum praecipuum poenitendi urget, ac homo adhuc est in via ac vita N. dum vel praecipuum non urget, vel homo est extra statum viae, in separatione scilicet corporis ab anima, aut in iudicio extremo C. Sensus litteralis agit de populo Judaico sub parabola vineae: quae Deus illi minatur auferre ac negare, specialia erant beneficia, nec ad vineae, nec ad animae fructus expectandos absolute ac simpliciter necessaria: desertio demum et traditio in conculcationem non erat, teste S. HIER. in hunc locum, decreta, nisi in consummatione et abolitione Synagogae.

Inst. 4. Jerem. 51. v. 9. dicitur: *Curavimus Babylonem, et non est sanata: derelinquamus eam;* quae verba interpretatur S. HIER. in comment. ad hunc locum, de subtractione auxiliorum sufficientium, proferens exemplum medici aegro nulla alia media ministrantis, si viderit infirmitatem adhibitis remediis obsistere.

R. In sensu litterali verba illa loquantur gentes Babylo ni foedere conjunctae; adeoque in tropologico, cujus vis ad arguendum minus efficax est, nec Deus, nec angeli boni intelligi queunt, praesertim cum his ululatus ibidem additus tribui nequeat. Interpretationem HIER. non licuit legere in commentariis, quae non nisi in priora 32. capita Jeremiae exstant; comparatio autem

medicum aut imperitum, aut suo debito minus satisficientem exhibet; unde ad Deum non pertinet, maxime urgentem praecipuo suo ad sanitatis recuperationem per poenitentiam.

Inst. 5. Joann. 12. v. 40. repetuntur verba Isaiae de Judaeis: *Excavavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligent corde;* in quem locum S. AUG. Tr. 53. n. 6. ait: *Sic enim excavcat, sic obdurat Deus, deserendo et non adjuvando, quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest.*

R. D. Deus excavcat, et obdurat deserendo et non adjuvando quoad et per gratiam uberores vel congruam aut etiam proxime sufficientem C. quoad et per gratiam minus uberores, mere aut remote sufficientem N. Excavatio et obduratio positiva ab ipso homine est, dicente Scriptura Matth. 13. v. 15. *Oculos suos clausurunt, ne quando videant oculis, et corde intelligent, ut convertantur;* et Ps. 94. v. 8.: *Nolite obdurare corda vestra: negativa vero est a Deo abundantiores gratias, sed non omnes, subtrahente, ut dictum est in prob. et in sequentibus ostendetur.*

353. Obj. II. TRID. Sess. 6. c. 11. et 13. probans, justis a Deo non negari auxilia sufficientia, ex S. AUG. L. de nat. et gr. c. 26. adoptat illud axioma: *Deus neminem deserit, nisi prius ab illo deseratur;* ergo et supponit, peccatores maxime obduratos a Deo deserit, utpote qui Deum jam saepius aut diu deseruerunt.

R. D. Cons. Supponit peccatores deserit a Deo per subtractionem gratiae habitualis, si ipsi per mortale Deum deserant C. deserit per subtractionem gratiae actualis subd. alicujus T. omnis N. Axiomatis hujus sensum negativum, qui formaliter exprimitur, non tantum admittimus, sed etiam affirmativum, qui virtute duntaxat continetur. Hic vero simpliciter et absolute verus tantum est de gratia habituali; quia infallibilis regula est, quod, qui deserit Deum peccando mortaliter, deseratur ab ipso amittendo gratiam sanctificantem ac filiationem divinam: similiter qui Deum per infidelitatem deserit, per ablationem habitus fidei deseritur, quod idem de spe asseritur habita proportionem.

De gratia autem actuali, saltem praeviente, affirmatio nec universalis, nec infallibilis est; cum enim TRID. loc. cit. jubeat omnes spem firmissimam in Dei auxilio collocare ac reponere, asseratque mandatorum Dei observandum tum necessitatem, tum possibilitatem; sequitur hominem, quantumvis Deum is iterato ac diu deseruerit, a Deo non iri in hac vita desertum quoad auxilium sufficiens.

Praeterea vero licet Deus jus habeat desertoribus suis negandi auxilium efficax, imo et proxime sufficiens, atque id etiam non raro faciat; hoc jure tamen sic quasi lege non adstrinxit misericordiam suam, quin et peccatoribus maximis se deserentibus concedere soleat auxilia ad salutem uberores et efficacia: quam in rem Paulus ad Rom. 10. v. 20. ait: *Isaias autem audet et dicit: Inventus sum a non quaerentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant.*

Inst. 1. S. AUG. saepius declarat excavatos et obduratos ita deserit, ut nec cernere quidpiam boni, nec velle ac facere possint. *Prob. 1. Nam L. 11. contr. Faust. c. 7. ait: Illud miror, non attendere homines caecos, vel potius*

non miror, non videre cæcos. 2. In L. septemdecim QQ. in Evang. Matth. q. 14. scribit n. 2. : *Cogimur fateri aliis quibusdam peccatis ita eos excæcari meruisse, qua tamen excæcatione non potuerunt credere.* 3. Demum L. de nat. et gr. c. 51. inquit : *Cæcus vult videre, sed non potest : si autem vult, et non potest ; inest voluntas, sed amissa est possibilitas ; ergo.*

R. N. Ass. Ad prob. 1^{am}. D. Aug. non miratur cæcos non videre ex impotentia N. ex propria voluntate ac negligentia C. Exponit hic S. Doctor textum Pauli, ex quo antilogiam Apostolo impingere *Faustus* studebat : in hujus explicationis discursu autem docet, argumentum nimium probare, cum, si sensus a *Fausto* assertus locum haberet, non tantum Christus, sed et plures alii carnem non essent habituri ; atque hac de sequela propositionem objectam enuntiat, qua non tam *excæcationem* et natam ex ea impotentiam, sed vel stupiditatem vel malitiam aut inconsiderantiam adversariorum arguit. Cæterum potuisse his cæcis et cæcorum duci *Fausto* innotescere verum textus Apostolici sensum, declarat AUGUSTINUS in fine c. 6., ubi transit ad illam explicationem dicens : *Si enim tu quoque pie quæreret, posses invenire, quomodo ista perscrutata dilucescant.*

Ad 2^{am}. R. D. Excæcati credere non poterant potestate remota N. potestate proxima *subd.* quamdiu excæcati erant, et quia nolebant credere C. simpliciter, ita ut hanc cæcitatem depellere non possent N. S. Aug. illo loco non tam de *impotentia*, quæ ex cæcitate oritur, quam de ejus duratione et effectu, quem Deus inde colligit et secundo intendit, tractabat ; ideoque dum attulisset ex SCRIPTURA textus, qui tam dicerent, homines claudere oculos, ne quando videant ; quam docerent, Deum excæcare oculos hominum, quid hic inquirat, subjungit his verbis :

An forte non absurde dicimus, quosdam Judæorum fuisse sanabiles ; sed tanto tamen superbia tumore periclitatos, ut eis expedierit primo non credere, et ad hoc fuisse cæcatos, ut non intelligerent Dominum loquentem per parabolas, quibus non intellectis, non in eum crederent, non credentes autem, cum cæteris desperatis crucifigerent eum ; atque ita post ejus resurrectionem converterentur, quando jam de reatu mortis Domini amplius humiliati, vehementius diligerent a quo sibi tantum scelus dimissum esse gauderent ; quoniam tanta erat eorum superbia, ut tali humiliatione esset deprecanda. Quod incongrue dictum esse quilibet arbitretur, si non ita contigisse in Actibus Apostolorum manifestissime legerit.

Quod autem hic loci præteriit, id Tr. 53. in Joann. ad eundem textum S. Doctor ex professo præstitit, ubi duplicem responsionem nostram aperte dedit ; 1^{am}. quidem, dum dixit n. 10. : *Hinc et illi non poterant credere, non quia mutari in melius homines non possunt ; sed quamdiu talia sapiunt, non possunt credere ;* quo sensu L. 2. de serm. Dom. in monte c. 24. n. 79. dixerat : *Quamdiu quisque malus est, non potest facere fructus bonos : si enim bonos fructus fecerit, jam malus non erit, etc.* 2^{am}. vero, ubi ait n. 6. *Quare autem non poterant, si a me quærat, cito respondeo : quia nolebant.*

Ad 3^{am}. R. D. Si cæcus vult, et non potest ex defectu tum gratiæ, tum naturæ, inest etc. C. si tantum non potest ex defectu naturæ jam lapsæ ac spoliatæ *subd.* inest voluntas et amissa est possibilitas, quæ fuit Adamo quasi connaturalis C. omnis etiam per gratiam possibilitas N. Dixerat Pelagius in suo scripto : *Ipsa non peccandi possibilitas non tam in arbitrii pote-*

state, quam in naturæ necessitate est. Huic post alia S. Aug. ita respondet : *Si iste, qui hunc librum scripsit, de illa hominis natura loqueretur, quæ primo inculcata et salva condita est, utcumque acceptaretur hoc dictum : posset et medicum quærare, qui cæci oculos sanaret, et videndi possibilitatem restitueret, quæ fuerat amissa per cæcitatem ; quoniam cæcus, puto, quod velit, sed non potest : si autem vult, et non potest etc.*

Inst. 2. S. Aug. ad exprimendam apertius videndi impotentiam, negat peccatori adesse necessaria ad videndum. Nam 1. in L. de perfect. justitiæ c. 19. n. 41. excæcatum appellat *desertum omni lumine veritatis.* 2. L. de nat. et gr. c. 23. *Deserti luce justitiæ, et per hoc contenebrati, quid pariant aliud, quam hæc omnia opera tenebrarum.* 3. In Psalm. 57. n. 22. hæc commentatur : *Sed jam est mentis cæcitas, jam oculus mentis extinctus est ; ergo.*

R. N. Ass. et prob. 1^{am}. S. Aug. enim eo loco non loquitur absolute, sed ex hypothesi, si aliquis omni gratia destitueretur, ut ex ipso textu patet : *Videte tamen, obsecro, quale sit, ideo volenti et currenti misericordiam Dei non esse necessariam, quæ illum etiam prævenit, ut curreret, quia de quodam ait Apostolus : quod vult, faciat.... Aut quia dictum est : Si voles præcepta, servabunt te : quasi non debeat Deo agere gratias, quia præcepta voluit, qui desertus omni lumine veritatis hæc velle non posset.*

Ad 2^{am}. R. D. Peccatores sunt deserti luce justitiæ omni, et per hoc obtenebrati tenebris exterioribus N. sunt deserti luce aliqua, et hinc obtenebrati, sed tenebris necdum exterioribus C. Alibi (in Ps. 6. n. 8.) docet, *secludi homines ab interiore Dei luce, sed nondum penitus, dum in hac vita sunt ; et tenebras exteriores pertinere ad diem judicii.*

Ad 3^{am}. R. D. Jam et in hac vita oculus mentis est extinctus subtracta gratia, quæ ad quamcumque veritatem cognoscendam est necessaria N. subtracta gratia, quæ ad singularem quamdam veritatem cognoscendam requiritur C. vel *subd.* ita ut oculus dicatur extinctus quoad actum videndi C. quoad potentiam videndi N. Textui objecto immediate subjungitur : *Si cæcus oculis carnis ad mensam suam quamlibet opimam discumberet, miserum eum diceret : cæcus interius panem Christum non videt, et beatus est ?* Itaque hic de cæcitate et oculo extincto respective ad *singularem veritatem* de præsentia Christi in Eucharistia Aug. loquitur, non vero respective ad omnem veritatem ; alias sibi contradixisset, cum in Psalm. 6. n. 8. scribendo etiam ex Davidis testimonio contendat, *oculum non extinguere, sed turbare ;* quod primam responsionem confirmat.

Pro secunda facit, quod in commentatione Psalmi objecti *aspidum surditatem* exponat per obdurationem spontaneam aurium contra sonantem incantatoris vocem ; et ad verba : *Supercecidit ignis, et non viderunt solem,* dicat solem non videri, qui tamen omnibus oritur ; quia homines concupiscentiam contemnunt vincere, et multis excitationis exertsque libidinibus concremantur et obscurantur.

Inst. 3. S. Aug. peccatoribus ejusmodi negari gratiam internam et sufficientem asserit. Prob. 1^o. Nam L. de nat. et gr. c. 22. de excæcato dicit, quod *tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris ;* vox autem legis est gratia solum externa, et stat in officiis benignitatis humanæ, ut vult Jansenius. 2^o. L. de don. persev. c. 12. n. 28. ait : *Dando*